Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Compendivm Rhetoricvm

Norimbergae, 1699

Mantissa de variatione grammatica & rhetorica

urn:nbn:de:bsz:31-105401

Visual Library

# MANTISSA
*de*
# Variatione Grammatica & Rhetorica.

ROmani veteres in ſcholis Grammaticorum & Rhetorum auditores ſuos ſingulari ſtudio docebant *variare* (illi *verſare* vocabant) Enunciationes vel Sententias; ad uberrimam verborum copiam, atqve expeditam tum ſcribendi tum loqvendi facultatem conſeqvendam. Ita Qvintilianus Lib. X. Inſtitt. Orat. Cap. 5, inqvit: *Ex industria ſumamus ſententias qvasdam, easq; verſemus qvam numeroſiſſime; veluti eadem cerâ aliæ atqve aliæ formæ duci ſolent.*

Qvæ exercitatio inſtitui poteſt ratione duplici: ſimpliciore una, cultiore & ornatiore altera. Illa intra

Grammaticæ artis limites ſe continet, qvando verſamus enunciationem per Caſus & Tempora; unde dici ſolet Variatio *Grammatica:* hæc decus ſuum a Rhetorica conſeqvitur, qvando verba propria & ſimplicia mutantur & ornatiùs efferuntur per Tropos & Figuras; dicta hinc Variatio *Rhetorica.*

## Variatio Grammatica per Caſus.

1,

*Virtus eſt colenda.*
*Virtutis cultus nobis ſit commendatiſſimus.*
*Virtuti ſtudeamus oportet.*
*Virtutem colamus & amemus ardentiſſime.*
*O Virtus, præ omnibus, qvæ mortales appetunt, bonis, æſtimanda, colenda!*
*Virtute nihil pulcrius, amabilius, honorabilius.*

2.

*Vitia ſunt fugienda.*
*Vitiorum turpitudo qvam maxime averſanda.*

*Vitiis*

*Vitiis minime vacandum aut indulgendum.*
*Vitia, tanqvam Sirenum ſcopulos, declinemus.*
*O Vitia cane pejus & angve vitanda!*
*A Vitiis animum avocemus, abſterreamus.*

3.

*Cicero Oratorum eloqventiſſimus.*
*Ciceronis eloqventia ſummopere eſt admiranda.*
*Dubito, an Oratorum qviſqvam Ciceroni palmam præripiat.*
*Credisne Ciceronem ulli Romanorum eloqventia cedere?*
*O Cicero, Romanæ eloqventiæ parens meritò appellande!*
*Cicerone Romulidum nemo fuit eloqventior.*

4.

*Claruerunt Romæ olim multi Oratores; inter omnes tamen eminuit Tullius.*
*Cicero Oratorum princeps jure appellatur.*
*Oratoribus aliis ſua qvidem laus tribuenda, ſed non tanta, qvanta Ciceroni.*
*Oratores omnes Tullius ſua ſuperat facundia.*
*Heus Oratores, qvotqvot eſtis, faſces ſubmittite Ciceroni!*
*Oratoribus omnibus Cicero multo eſt eloqventior.*

In Theſauro Critico J. Gruteri Tom. III. Paulus Leopardus Emendat. Lib. III. Cap. IX, ex Græco Theone & Latino Diomede, ſeqventia duo exhibet Exempla, p. m. 51:

1.

*Cato dixit, Literarum radices amaras eſſe, fructus jucundiores.*

*Laudatur Catonis dictum, Literarum radices amaras eſſe, fructus jucundiores.*

*Catoni placuit dicere, Literarum radices amaras eſſe, fructus jucundiores.*

*Catonem dixiſſe perhibent, Literarum radices amaras eſſe, fructus jucundiores.*

*O Cato, qvam vere atq; egregie dixiſti, Literarum radices amaras, fructus jucundiores!*

*A Catone dictum accepimus, Literarum radices amaras eſſe, fructus jucundiores.*

2.

*Diogenes Cynicus, ipſo meridie, accenſa lucerna qværebat hominem.*

*Diogenis Cynici factum mirabile videbatur multis, qvando de die, accenſa lucerna qvæſivit hominem.* *Dioge-*

*Diogeni Cynico* placuit, medio diei, accenſa candela qværere hominem.

*Diogenem Cynicum* ferunt, ad meridiem, lucente laterna qvæſiviſſe hominem.

*O Diogenes Cynice*, cur ipſo meridie, lucernam ferens, hominem qvæſiviſti?

*A Diogene Cynico*, de die, accenſa lucerna, hominem fuiſſe qvæſitum perhibent.

## Variatio per Tempora.

I.

Chriſtiani *vincunt* Turcas.

*Vincuntur* a Chriſtianis Turcæ.

*Vicimus* Chriſtiani Turcas.

*Viciſtis*, Chriſtiani, Turcas.

Chriſtiani *vicerunt* Turcas.

*Victi ſunt* a Chriſtianis Turcæ.

Sæpius factum, ut *vincerent* Chriſtiani Turcas.

Vſu venit, ut Chriſtiani *vicerint* Turcas.

Niſi Deus adfuiſſet Chriſtianis, hi non *viciſſent* Turcas.

Glorioſum eſt Chriſtianis, toties *viciſſe* Turcas.

Qvis neſcit, *victos eſſe* Turcas a Chriſtianis?

2.

Salomo Reges omnes ſuperat ſapientia.

Nullus Regum adhuc Salomonem ſuperavit ſapientia.

Ecqvis Regum ſuperabit unqvam Salomonem ſapientia?

Superate, Reges, ſi poteſtis, Salomonem ſapientia! Poteritis autem minimè.

Nullius recordor Regũ, Salomonem qvi unqvam ſuperaverit ſapientia.

Ipſe Spiritus S. confirmat, Salomonem ſuperare Reges omnes ſapientia.

Qvis neſcit, Salomonem Reges cunctos ſuperaſſe ſapientia?

Salomo a nullo Regum ſuperatur ſapientia.

A Salomone Reges omnes ſuperantur ſapientia.

Heus Reges, qvotqvot vixiſtis, ſapientiores, ſuperati eſtis a Salomone ſapientisſimo.

Certum eſt, Salomonem a Regum nullo ſuperari, aut unqvam ſuperatum eſſe, ſapientia.

Neqve credendum, Salomonem ab ullo Regum unqvam ſuperatum iri ſapientia &c.

Exem-

## Exemplum aliud Variationis & Amplificationis per Tempora.

### *Artem* ( ſive *Studia Sapientiæ* ) *magis amo, qvam Martem.*

Præſens.

*Artem, qvam qvævis terra alit, ac Studia, qvæ adoleſcentiam ornant, ſenectutem oblectant, præ Marte truci & cruento, amo & in deliciis habeo. Hæc qvidem amari pariter a multis, mihi compertum eſt; me tamen illarum amantiorem eſſe credo neminem.*

Imperfectum.

*Eqvidem in juventutis meæ flore Marti litabam, & caſtra ſeqvendi deſiderium imis mihi hærebat in medullis, lectaq; & audita ſtrategemata mirum in modum placebant; armorum fulgor ac fulgura lætos paſcebant oculos; tormentorum tonitrua aures demulcebant; nec minimam fovebam ſpem per ſudorem, pulverem & ſangvinem, divitias ac nobilitatem conſeqvendi.*

## Perfectum.

*At verò qvamprimum liberalium artium atria ſum ingreſſus, Muſarumq; delicias primis deguſtavi labris, ingenti & admiratione & voluptate captus, ſpem meam in Pieridum mora collocavi, iisdemq; & Minervæ ſacramentum dixi.*

## Plusqvamperfectum.

*Dumq; me totum in literas abdideram, & Philoſophiæ cumprimis ſtudio mirificè flagraveram, ecce hoſtes ſummis viribus ingentes inſtruxerant copias, fortunam belli tentaturi; ubi me militarium nonnulli tribunorum, qvibus familiariter qvondam uſus fueram, ab Artium ſtudio ad Martem deducere laboraverant, ſed in caſſum: me namq; bonis literis unicè jam devoveram.*

## Futurum.

*Atqve his etiam omni cura & contentione porro navabo operam; eas, dum ſangvis & oſſa calebunt, colam ac diligam. Hoc erit negotium meum, hoc otium; hic labor, hæc qvies, in his vigilia, in his etiam ſomnus reponetur.*

## Imperativus.

*Tu igitur, qviſqvis in bivio Herculis etiam nunc verſaris anceps, utrum Muſis an Marti ſit operandum, me ſeqvere, ac ſub Apollinis ſignis ſtrenue mecum milita, lauream q; coronam, & famam nominis immortalem, præmii inſtar, certò expecta!*

## Variatio Rhetorica per Tropos & Figuras, dicti hujus,

## *Fortuna eſt inconſtans;*

ſive

## *Fortuna volubilis errat.*

### Metaphora.

*Fortuna ad voluptatem noſtram non ſemper fluit.*

Vel: *Time fortunam, cum floret maxime.*

### Metonymia.

Cauſ. Effic. *Fortuna Cerere ac Pluto horrea noſtra & arcas modo replet, modo evacuat.*

Cauſ. Mater. *Fortuna aurum & argentum nunc donat nobis, nunc eripit.*

Effect. *Fortunæ cæcæ minime fidendum.*

Subje-

Subjecti: *Fortunæ inconſtantia maximis etiam urbibus ac provinciis eſt notiſſima.*

## Synecdoche.

*Partis: Omnis anima fortunæ experitur mutabilitatem.*

*Tot. Orbis terrarum volubili Fortunæ globo ſubjectus eſt.*

*Speciei: Fortuna tam ſecunda qvam adverſa mille nobis parit curas & incommoda.*

*Anteced. Ob ſortis inconſtantiam ſæpius exclamare cogimur: Fuimus Troës!*

## Antonomaſia.

*Variante fortuna, Irus fit ſubito, qvi modo Crœſus erat.*

## Periphraſis.

*Time Deam illam volubili globo inſiſtentem!*

## Catachreſis.

*A fortuna etiam favente mala multa ſperes!*

## Antiphraſis.

*Egregiam fortunæ fidem atqve conſtantiam!*

## Allegoria.

*Fortuna vitrea eſt, qvæ cum ſplendet, frangitur.*

Vel:

Vel: *Contrahes vento nimium ſecundo turgida vela!* Horat. Od. 10. Lib. II. h. e. *Rebus proſperis te non nimis effer!*

## Hyperbole.

*Fortuna eſt ipſo Proteo mutabilior, ventisq; fugacior.*

## Anaphora.

*Fortùnam inconſtantem eſſe, fortunam errare volubilem, fortunam fragili vitro ſimilem, Poëtæ pariter ac Hiſtorici aſſeverant.*

## Epiſtrophe.

*Virtutem jungamus fortunæ; nec ſoli fidamus fortunæ.*

## Symploce.

*Qvid eſt, qvod mortales collocat in altisſimum honoris & potentiæ faſtigium? Fortuna. Qvid eſt, qvod eosdem præter opinionem hinc deturbat agitq; præcipites? Fortuna.*

## Epanalepſis.

*Fortuna qvidem reverenter habenda; nunqvam tamen firmioribus animi bonis anteponenda fortuna.*

Ana-

## Anadiploſis.

*Fortuna utiq; eſt ſuſpicienda; ſuſpicienda tamen ita, ut ab ejus inconſtantia probe nobis caveamus.*

## Epizeuxis.

*O fortuna, fortuna, ut nunqvam perpetuo es bona;*

## Epanodos.

*Ventis marinis qvi fidit, fidit fortunæ; & fortunæ qvi credit, ventis ſe committit.*

## Ploce.

*Dea Fortuna non eſt Dea; inconſtans namq; eſt, & in horas mutabilis.*

## Polyptoton.

*Sæpe adverſa fortuna fortunam ſeqvitur benigniorem.*

## Aſyndeton.

*Fortuna caute, provide, circumſpecte utamur fruamur.*

## Polyſyndeton.

*Omni ſtudio & cura & opera & diligentia caveamus, ne fortunæ decipiamur inconſtantia.*

## Homœoptoton.

*Fortuna non ſolùm bonorum, ſed & mater eſt malorum.*

## Homœoteleuton.

*Qvem pridie fortuna favens geſtit reſpicere, eum poſtridie averſo vultu ſolet deſpicere.*

Vel: *Fortuna alia ſolet ſtruere, alia diruere.*

## Paronomaſia.

*Fortuna globo inſiſtit; rotabilis igitur eſt & labilis, non ſtabilis.*

## Antanaclaſis.

*Cura, ita colas fortunam, ne inde oriatur tibi cura.*

## Hypallage.

*Fortuna globo vacua, & globo inſiſtens, ejusdem eſt inconſtantiæ.*

## Interrogatio.

*Qvis eſt mortalium, qvi fortunæ viciſſitudines non experiatur?*

## Subjectio.

*Qværo igitur, cur Apelles Fortunam pinxerit ſedentem? An ob firmam ejus qvietem? minime; ſed qvia loco ſtare neſcit.*

Excla-

## Exclamatio.

*O falſam & volucrem fortunam, qvæ nunqvam ſimpliciter indulges!*

## Dubitatio.

*Fortuna bona an mala nuncupanda ſit, anceps hæreo. Huic favet, illi minùs; hunc magnis effert auctibus, illum ex inſperato peſſundat.*

## Communicatio.

*Qvam vaga & volubilis ſit fortuna, vos qvæſo, qvi ſalutem omnem ac ſpem in ejusdem conſtantia hactenus defixiſtis, conjicite. Hæc an ſtabilem ſe perpetuamq; vobis exhibuerit, experientiæ judiciiq; veſtris committo.*

## Paradoxon.

*Fortes fortuna adjuvat. Qvid, fortes? Timidos ſæpe præter ſpem evehit, deprimitq; animoſos.*

## Præteritio.

*Non dicam, fortunam in ultimæ ſortis terrigenas ſævire; tacebo, eam mediocris conditionis homines, ac nobiles, telis ſuis petere: potentiſſimos etiam Reges terrarumq; domi-*

domitore.
cumvolv

Si ita p
huic; ni
ſſus!

Eſto, qu
maxim
itemq
net t
ſibi S
Miſe
qvam

Qvæ inſa
pla Fo
cui exa
fumo,

Cedò dex
& adſt
tum fo
xes ide

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

*domitores rotabili ſuo globo illa ſecum circumvolvit.*

## Permiſſio.

*Si ita placet, adora fortunam, fide vitro huic; nihil ad me attinet: videbis, cui ſis ſiſus!*

## Conceſſio.

*Eſto, qvod ſaffragante fortuna nonnulli res maximas ſint conſecuti; eſto, qvod unum itemq; alterum fortuna non ſefellerit; manet tamen eadem inconſtantiſſima. Sumat ſibi Sylla unus nomen Felicis; qvot contrà Miſeri ſunt appellandi ob mutabilem, qvam experti ſunt, ſortis varietatem?*

## Apoſiopeſis.

*Qvæ inſania paganos olim compulit ad templa Fortunæ exſtruenda? Templa, qvæſo, cui exædificarunt? Deæ? an ventis, an fumo, an; ſed nolo plura.*

## Apoſtrophe.

*Cedò dextram, Crœſe Regum potentiſſime, & adſtipulare Soloni, qvod nemo ante obitum fortunatus ſit dicenduss? Tuqve Xerxes idem affirmare poteris; nunc ſolio inſidens*

*ſidens ſplendida aulicorum corona ſtipatus, nunc naviculæ miſer affixus, paucis cum commilitonibus.*

## Licentia.

*Fortuna, benigna qvidem haberis Dea; me tamen continere non poſſum, qvin aperte dicam, te falſo & ſucato vultu adſpicere homines, fallere mortales, ſeducere, & ad incitas ſæpe redigere.*

## Avxeſis.

*Fortuna, Proſerpina iſta, vitri inſtar eſt fragilis, aut ſi qvid vitro eſt fragilius.*

## Tapinoſis.

*Nobiscum qvaſi teſſeris ludit fortuna, blanda illa meretricula.*

## Emphaſis.

*Itane viri fortes fortunæ fidant, conſtantes inconſtantiſſimæ?*

## Synonymia.

*Fortunæ vagæ, volubilis, incertæ, dubias ambages nemo ignorat.*

## Expolitio.

*Illud operam da & enitere, ne fortunæ fias manci-*

*mancipium; omnem adhibe cautionem, ne ſuperſtitioſe illam adores; provide animo circumſpectiùs, ne ſua te inconſtantia decipiat.*

## Definitio.

*Fortunam cæcam, inſanam & brutam definiunt Philoſophi. Cæcam, qvia non cernit, qvo ſeſe applicet; inſanam, qvia atrox, incerta, inſtabilis; brutam, qvia cum multis conflictatur incommodis ac periculis, propter immenſam pecuniæ & honoris cupiditatem.* Ad Herenn.

## Diſtributio.

*Qvinam homines, qvæ familiæ, fortunæ varietatem non ſunt expertæ; qvi pagi, qvæ urbes, qvæ regna & imperia volubilem ejusdem rotam non formidant, qva omnis rerum univerſitas luditur & agitatur?*

## Congeries.

*Caduca & fragilia ſunt fortunæ bona, honores, potentia, imperia, amici, divitiæ; affluunt ſubito, repente dilabuntur.*

## Incrementum.

*Fortuna mendicorum tuguriola, civium ædes, nobi-*

*nobilium palatia, Regumq; turres æquo pede aggreditur, ſubruit, ſolo æquat.*

## Expeditio.

*Fortunam nonnulli quadrato lapidi inſiſtentem, alii cubantem, alii ſolio inſidentem pinxerunt. Cum autem ſtare loco neſciat, multo minùs cubans aut ſedens valeat quieſcere; relinquitur, commodiùs illam volubuli pilæ admotam, aut in aëre volitantem, exprimi poſſe.*

## Aſſumtio.

*Cum mortales variis rerum viciſſitudinibus ſunt obnoxii, tum vel maxime mutabilitati fortunæ.*

## Gnome.

*Nihil eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ, quam fortuna.* Cic. 2. de Divin.

## Epiphonema.

*Quo altius fortuna nos evehit, eo propiores ſumus ruinæ. Quapropter*

*Fortunam reverenter habe, quicunque repente*
*Dives ab exili progrediere loco.*

Ætio-

## Ætiologia.

*Fortunam faventem omni cura & vigilantia revereamur; illa enim ſphæræ inſiſtens ex inſperato terga nobis obvertit, ſeqve noſtris ſubducit oculis.*

## Translatio.

*Fortuna inter homines inconſtantiam exercet, ſi non ſui, illorum tamen cauſſa, ne immemores ſint fragilitatis humanæ, nimiáve laſciviant ſecuritate.*

## Gradatio.

*Fortunæ ludibria homines ſæpe ad magnam adigunt miſeriam, miſeria parit deſperationem, deſperatio mortem, mors æternos animæ & corporis cruciatus.*

## Hypotypoſis.

*Fortunæ ſcenam ſi ſpectemus, videbimus inter ejus cultores hunc in ſummo rerum culmine verſantem, illum humi repentem. Hic ſuperbit Crœſus aureo inſidens throno, illic rogo impoſitus contremiſcit: hic Beliſarius fulminis inſtar proſternit hoſtium exercitus, illic cæcus tremulisq; manibus ſtipem colligit &c.* Adde, qvæ habet Juvenalis

Sat. X. de Sejano, ejusqve ſtatua & morte: *Jam ſtridunt ignes, jam follibus atqve caminis ardet adoratum caput &c.*

## Proſopographia.

*Fortunam ſi conſidero, videor mihi videre feminam vultu liberalem qvidem ſpeciem præbente, ſed incerto, oculis vagis & argutis, in capite polum tenentem, manu altera copiæ cornu effundentem, altera, qvod dedit, rapientem, nunc pilæ, nunc ſphæræ inſiſtentem &c.*

Vel *poteſt illa repræſentari, dextra clavem, ſiniſtra copiæ cornu tenens, orbata oculis, ſedens in curru a cæcis etiam eqvis tracto; cui adſcriptum illud* Ovidii:

*Qvaq; ruit, furibunda ruit; totumq; per orbem*
*Fulminat, & cæcis cæca triumphat eqvis.*

## Topographia.

*Hic deſcribi poſſunt varia Fortunæ Templa, a Servio Tullio, Nerone aliisq; Romæ exſtructa; ac Fortunæ non ſolùm Proſperæ, Primigeniæ, Obſeqventi, ſed & Fortunæ Parvæ & Malæ dicata: de qvibus vid.*

Mar-

## INDEX Rhetoricæ.

A.


pag.

Absolutus status. - - - - 68.

Æmulatio. - - - - - 98.

Ætiologia. - - - - - 161.

Ænigma. - - - - - 141.

Affectus. - - - - - 83.

Allegoria. - - - - - 140.

Ambigui status. - - - - 73.

Amor - - - - - - 89

Anadiplosis - - - - 146.

Anaphora - - - - 144.

Antanaclasis - - - - 148.

Antiphrasis - - - - 139

Antypophora - - - - 166.

Antonomasia - - - 139.

Aposiopesis. - - - 159.
Apostrophe. - - - 159.
Assumtio. - - - - - - 160.
~~Assu~~ Assumtivus status. - - 67
Asteismus. - - - - 192
Asyndeton. - - - - 147
Auxesis. - - - - - - 156
B.
Benevolus - - - - 111.
C.
Catachresis. - - - - 138.
Carientismus. - - - 142.
Caaz genera. - - - - 7.
Comunicatio. - - - - 156.
Comparatio. - - - - 166
Comutatio. - - - 169.
Concessio. - - - - 153.
Confirmatio - - - - 116
Congeries. - - - 159
8

Marliani Topographia Antiqvæ Romæ *Lib. IV. Cap. 7. & alibi.* Roſin. Antiqv. Rom. *Lib. II. cap. 16.*

## Chronographia.

*Sæpe primo diluculo, ubi*
*trepidas Tithonia nubes*
*diſcutit, ac reduci magnum parat æthera*
*Phœbo,*
*fortuna favente arridet vultu; ſed veſpere ſero ac deficiente die & illa deficit, umbrisq; nocturnis fugiens ſemet involvit.*

## Contentio.

*Magna fortunæ vis eſt in utramq; partem, vel ſecundas ad res, vel adverſas. Nam & cum proſpero flatu ejus utimur, ad exitus pervehimur optatos; & cum reflavit, affligimur.* Cic. II. Offic. c. 6.

## Commutatio.

*Fortuna dum volubilis ſemper errat, in levitate ſua eſt conſtans; atqve hoc modo conſtans, eſt inconſtantiſſima.*

## Inverſio.

*Cicero inqvit, Vita regitur fortuna, non ſapientia. Ego vero dixerim, regi illam ſapientia, non fortuna.*

## Correctio.

*Fortunam pagani magnis affecerunt honoribus, imo ut Deam adorarunt ; cùm tamen ſit inconſtantiſſima.*

## Occupatio.

*Obſtrepunt nonnulli, ſcio ; Nobis tamen albæ gallinæ filiis ſatis diu conſtanterq, adhuc fortuna favit ! Sed diſcant hi, ex monito Crœſi, talem humanarum rerum circulum eſſe, qvi rotatus, homines ſemper fortunatos eſſe minime ſinat. Diſcant e Seneca, qvod prohibeat Clotho ſtare fortunam ; rotet omne fatum.*

## Paradiaſtole.

*Fortuna, cum minime ſperes, non te invertet tantùm, ſed evertet ; non premet, ſed opprimet.*

## Anthypophora.

*Fortuna multis qvidem dat multa ; ſed ſatis nulli.*

Vel : *Sylla unus Felicis nomen ſibi tribuit ; at mortalium poſt eum nemo id auſus eſt, ob ſummam fortunæ inconſtantiam.*

Com-

# Index.

## C.

Conjecturalis status. - - - - 60
Contentio. - - - - - 164.
Contrarium locum status. - - - 74.
Correctio. - - - - - - 165.
Cronographia. - - - - - 163.

## D.

Diasyrmus. - - - - - - 141.
Digressio. - - - - - 170.
Dissimilitudo. - - - - 167.
Dispositio. - - - - - - 5.
Distributio. - - - - - 168.
Doctrinale genus. - - - - 13
Ejus objectum. 15.
Finis. 14.

## E.

Elocutio. - - - - - 5.
Emphasis. - - - - - 157.
Enthymema. - - - - - 119.

# E.

Epanodos. - - - - - - - 146.
Epanalepsis. - - - - - - 145.
Epilogus. - - - - - - - 122.
Epiphonema. - - - - - - 160.
Epistrophe. - - - - - - - 145.
Epizeuxis. - - - - - - - 146.
Exclamatio. - - - - - 150.
Exemplum. - - - - - - 168.
Exemplum de Buda expugnata. 85.
- - de incendii spirandi. - - 87.
- - De morte Patroni. - - - 88.
Exemplum Metus. - - - 97.
- - - Æmulationis. - - 98
- - - Iræ - - - 101.
- - - Lenitatis. - - 104
- - - Misericordia. - - 106.
- - - Pudoris. - - - 108.
- - - Syllogismi oratorij. 117.
Expeditio. - - - - 159.
Expolitio. - - - - 157.
Extenta. - - - - 52.

## Comparatio.

*Si fortuna fallere ac præcipitare conſvevit Reges etiam potentiſſimos, tanto magis audebit cæteros.*

Vel: *Conferamus Sejanum cum Phaëthonte: uterq; adſcendit in altum, ut lapſu graviore rueret.*

## Similitudo.

*Vt navigantibus venti nunc ſunt ſecundi, nunc adverſi; ſic in vita aliis fortuna favet, aliis adverſatur.*

## Diſſimilitudo.

*Non, qvemadmodum ſtatua qvadratæ innixa baſi dimoveri neutiqvam poteſt, ita fortuna immota ſemper conſiſtit: qvam preſſis etiam manibus ſi teneas, lubrica eſt, nec invita teneri poteſt.*

## Imago.

*Fortuna qvidem os humerosq; Deæ ſimilis depingitur; ſed miſeram eorum conditionem, qvi hac in Dea ſpem ſuam ac præſidium collocant.*

## Exemplum.

*Fortunæ inconſtantiam qvi negat, cogitet Cli-*

*tum, Parmenionem, Philotam, Sejanum, Wallenſtenium, Ancræum: ſteterunt in ſummo omnes, omnes ceciderunt.*

## Plaſis.

*Qværo, ſi Jugurtham vinculis gravem in triumpho duci, aut Beliſarium, ſummum qvondam belli imperatorem, ante fores tuas ſtipem cerneres colligentem, an fortunæ conſtantiam tam audacter ampliùs eſſes propugnaturus?*

## Proſopopoeia.

*Ipſa Fortuna nimis credulos ac ſimplices amaſios ſuos monere videtur, ne tam audacem conſtantiæ ſuæ fiduciam habeant. O fallaces, inqvit, ſpes veſtras & inanes contentiones! qvæ in medio ſpatio frangi & corruere poſſunt, & ante in ipſo curſu obrui, qvam portum conſpicere qveant.*

*-- -- Scilicet ultima ſemper*
*expectanda dies homini, dicíq; beatus*
*ante obitum nemo ſupremaq; funera*
*debet.*

## Sermocinatio.

*Vir prudens, qvi fortunæ timet volubilitatem, crebrò ſecum ipſe loqvitur: Caduca certe & fra-*

# INDEX.

pag.

## F.


Facile q̄d sit. - - - - 52.
Factum Davidis. - - - 43.
Figura. - - - - 143.
— — Quotuplices. - - - 144.
— — — Dictionis. - - - 144.
— — — Sententiar. - - - 149.
— — — Amplificationis. - - 155.


## G.


Gnome - - - - - 160.
Gradatio. - - - 164.


## H.


Homoeoptoton. - - - 148.
Homoeoteleuton. - - 148.
Honestum. - - - - 51.
Hypallage - - - 149.
Hyperbole. - - - 140.
Hypotyposis. - - - - 162.


## I.


Imago - - - - - - 167.
Incrementum - - - 159.

Inductio — — — — — 159.
~~Indict.~~
Intellectio — — — — — 9.
Interrogatio — — — — 150.
Inventio — — — — 5.
Inversio. — — — 164.
Ira. — — — — 100.
Jucundum — — — 53
Judiciale genus — — 10.

L.

Laetitia — — — 85.
Latinitas. — — 124.
Laus Aristotelis. — — 32.
— — Apium — — 38.
Laus canis. — — 39.
— — — facti Miltiadis. — 41.
— — Norimbergae — — 46.
— — philosophiae. — 48.
Legitimus status. — — 27.
Lenitas — — — 103
Licentia — — — 153.

*& fragilia, puerilibusq; conſentanea crepundiis ſunt ea, qvæ fortunæ vires atqve opes humanæ vocantur. Affluunt ſubito, repente dilabuntur; nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt.*

## Transitio.

*Qvoniam de Fortunæ vi ac potentia dixi, nunc de inconſtantia ejusdem pauca proferam.*

## Rejectio.

*Fortuna volubilis errat. Vnde vero volubilitas iſta? inqviat aliqvis. Hac de re alio loco dicam.*

F I N I S.